



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

17 vtrum liceat appetere Episcopatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

Verum aqua habeat virtutem ad emundationem.

Vide g.p. q. 66. ar. 2. & 3. & 4. di. 3. ar. 3. q. 1.

AD PRIMUM queritur, utrum aqua habeat virtutem ad emundationem, i. utrum propria virtute mundet, vel virtute concomitante.

RESPON. Dicendum, qd duplex est opinio in huiusmodi non solum de aqua, sed de omnibus ecclesiasticis sacramentis. Quidam. n. dicunt, qd sacramenta non habent virtutem, vel vim operandi in anima, sed tantum extra, & diuina virtus concomitans facit illum effectum, & inducit exemplum. Ber. Sit aliquis episcopus, qui inuestiat aliquem de præbenda per anulum, annulus non est cā præbende, sed signum. Sed hoc non est sane dictum, quia sic non esset aliqua prærogatiua sacramentorum nouæ legis ad vetera, quia etiam in illis virtus coassistens fidei creditur in Chrm veteri iustificabat.

Et ideo dicendum, qd sacramenta habent in se virtutem iustificandi, & ad alios effectus ad quos ordinantur, & non solum qd sunt signum. vnde Aug. Quæ est tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Sciendum tamen, quod duplex est virtus. f. & propria, & instrumentalis, sicut patet in ferra, sic sacramenta habent virtutem instrumentalem ad spirituales effectus: quia cum sacramentum adhibetur cum inuocatione diuina, efficit huc effectum. Et hoc est inconueniens, quia verbum, per quod omnia sacramenta virtutem habent, habuit carnem & fuit verbum Dei, & sicut caro Chri habuit virtutem instrumentalem ad faciendum miracula pp eō iunctionem ad verbum, ita sacramenta per coniunctionem ad Christum crucifixum & passum.

QVÆSTIO XV.

ARTICVLVS XV.

Verum non habens curam animarum possit absolueri in foro confessionis.

4. di. 13. q. 1. ar. 1. q. 3. & 3. q. 1.

DEINDE quesitum est de penitentia. Et primo, utrum non habens curam animarum possit absolueri in foro confessionis.

RESPON. Dicendum, quod aliter est ei sacramentum penitentia, & aliter in quibusdam aliis sacramentis. Nam in quibusdam qui habet ordinem, potest ex hoc ipso inducere effectum sacramenti in omni casu. In illis in quibus quod est effectus sacramentorum, est res existens extra sacramentum. Vñ sacerdos degradatus & excommunicatus licet peccet, tamen consecrat, & baptizat, & similiter episcopus consecrat, quia confert characterem. In penitentia autem non imprimitur character, nec effectus, nisi iustificatio penitentis, quod non potest fieri nisi per potestatem iudicariam. Non habens autem curam animarum, non habet hanc potestatem.

ARTICVLVS XVI.

Verum liceat in aliquo casu reuelare confessionem.

SECUNDO, utrum liceat in aliquo casu reuelare confessionem.

RESPON. Dicendum quod non, nec verbo, nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licet facere, quia est sacrilegium. Nam ita est in sacramentis nouæ legis, quod efficiunt quod figurant: effectus autem penitentia est occultatio peccatorum ab oculis Dei uiuentis, & hæc occultatio significatur per secretum confessionis. Et ideo sicut prophanaret sacramentum,

F qui conficeret corpus & sanguinem Christi de alio quâ de pane & uino: ita esset reuelans sacrilegus.

ARTICVLVS XVII.

Verum liceat appetere episcopatum.

TERTIO, utrum liceat appetere episcopatum.

RESPON. Dicendum, quod contingit appetere prælationem dupliciter, aut propter necessitatem urgentem, aut non urgentem. Primo modo dupliciter, vel quando imponitur a superiori, vel quando non inuenitur aliquis, qui velit onus prælationis subire, tali necessitate existente meritorium est appetere. Vnde Ita. sexto. Quem mittam, & quis ibit nobis respondit. Ecce ego, mitte me, tamen ante dixit se indignum. Secundo modo. f. quando non urget necessitas, sic non licet: quia non potest carere aut uitio iniustitiæ, si velit se minore præferri maioribus: aut uitio præsumptionis, si reputet se sufficere præferri aliis. Vnde Cryf. super illud Reges gentium &c. Primatus ecclesiasticos concupiscere nec iustum, nec utile.

QVÆSTIO II.

ARTICVLVS XVIII.

Verum compaternitas causatur ex præambulis ad sacramenta.

DEINDE quesitum de effectu sacramentorum, utrum compaternitas causatur ex præambulis ad sacramenta, puta, ex catechismo, & huiusmodi. & uidetur quod sic. Dicit. n. quædam Decret. q. 1. primo pabulo salis non potest fieri uxor. ergo contrahitur ibi compaternitas.

Prat. Catechumenus censetur christianus: sed qui dat christianismum efficitur copater. ergo &c.

RESPON. Quidam dicunt, quod omnia illa sacramentalia sufficiunt ad causandum compaternitatem. Quidam dnt, quod solum contrahitur quantum ad tria. f. in catechismo, baptismo, & confirmatione. Sed mihi vs quod solum contrahitur in duobus. f. in baptismo, & confirmatione, quia copaternitas similitudo quædam est paternitatis: paternitas autem non fit nisi in generatione, & ideo solum in illis sacramentis, in quibus est quædam generatio spiritualis, contrahitur compaternitas que matrimonium impedit.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod illa non sunt intelligenda singillatim, sed sunt accipienda collectivè & simul, quia in omnibus illis aliquibus efficitur compaternitas.

AD SECUNDUM Dicendum, quod catholicus dicitur christianus per fidem, non per baptismum quem nondum suscepit, & ille qui dat christianismum, dat sacramentum baptismi.

ARTICVLVS XIX.

Verum una sit ecclesia que fuit in principio apostolorum, & que modo est.

DEINDE quesitum fuit, utrum sit una ecclesia, que fuit in principio tempore apostolorum, & que est modo, & uidetur quod non, quia nunc non utitur eisdem regulis. Tunc. n. prælati erant sine auro & argento in zonis suis. ergo &c.

Prat. Non legitur quod Christus, & Apostoli habuerint castra. modo autem ecclesia habet. ergo &c.

CONTRA. Mat. ult. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi: hoc autem non intelligitur nisi de Apostolis, quia omnes mortui sunt, & adhuc sæculum non est consummatum. ergo &c.

RESPON. Dicendum, qd eadē est numero ecclesia q̄ tunc erat, & q̄ nunc est, quia eadem fides, & eadem